



Nf. 24.

420 97
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR,
IOANNES GOTTLIEB
HEINECCIUS, IC.

POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS SANCTIO-
RIBVS, IVRIVM ET PHILOSOPHIAE PROFESSOR
ORDINARIVS,

VNA CVM

CANCELLARIO, DIRECTORE
ET

PROFESSORIBVS RELIQVIS,
RELIGIOSAM CELEBRATIONEM

NATALIVM CHRISTI

CIVIBVS ACADEMICIS
HVMANISSIME COMMENDAT. CW.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.

Circumspicientibus nobis, CIVES, varia argumenta, quibus studium Vestrum excitari posset, ad natales DOMINI nostri IESV CHRISTI religiose celebrandos; quippe quem vnum finem haec scriptio sibi propositum habet: en occurrunt verba gentium doctoris, digna in primis & maxime accommodata nobis visa, quae Vobis hisce feriis meditanda proponantur, dum is, Ὁ, τε ἀγιάζων, inquit, καὶ οἱ ἀγιάζομενοι, ἐξ ἐνὸς πάντες δι' ἡν αἰτίαν ἐν ἐκπαισχύμεται, ἀδελφοὺς αὐτὸς καλεῖν. Hoc est: *ET QUI SANCTOS REDDIT, ET QUI SANCTI REDDUNTUR, OMNES SUNT AB VNO: QVAM OB CAVSAM EVM NON PVDET, EOS VOCARE FRATRES.* a)

Scilicet cum *magnum & stupendum illud pietatis mysterium*, quod *DEVS in carne adparuit*, vt Paullus loquitur, b) *haec quod filius DEI, adsumtis animo & corpore hominis, ex eadem nobiscum stirpe oriundus esse ipse voluit; tum summa illius humanitas & Philanthropia*, qua, noua nobis consanguinitate propinquus, nos omnes ac singulos vt germanos fratres complectitur, oculis nostris subiiciuntur, tamquam spectaculum longe iucundissimum, in natalitiis DOMINI contemplanda. Et profecto, si illud ipsa natiuitate iacta ab eo fundamenta reparandae salutis nostrae nobis ostendit; hoc certe animum eius maxime beneuolum, tamquam fontem omnis solatii auxiliique ab illo exspectandi, nobis aperit. Vtrumque vero tam arcto vinculo inter se coniunctum est, vt prius illud sit causa posterioris, posterior effectus prioris. DEI enim filius eo ipso, quod homo factus, hominibus humanissimum se praebet, & idem mirum in modum blandus & comis erga homines est propterea, quia ipse hominem se esse meminit. Agite igitur, dum vtrumque digne expandere temporis & chartae angustia iam non permittit, id saltem, quod primum est, paullo curatius considerabimus, alterum, quod ex illo facilius intelligitur, priuatae meditationi Vestrae amantissime commendantes, ex qua in hac feriarum solemnitate vtilitatem consequemini haud poenitentiam.

Quod igitur ad illud attinet, de quo Apostolus, *nam, ait, & qui sanctos reddit, & qui sancti redduntur, omnes sunt ab vno*: initio qui-

a) Ebr. II, 17.

b) I Tim. III, 16.

quidem nexu cum iis verbis, quae praecedunt, satis perspicue ostendit, haec eum in finem ab illo proponi, ut adpareat, *decurse eum, propter quem omnia, & per quem omnia sunt* atque fiunt, quem DEVM Patrem esse facile agnoscimus, *ut tot filios in gloriam ducentem auctorem salutis eorum* per passionibus & suppliciis perferret. c) Probat autem hoc ita, ut doceat, virosque, & in gloriam duccendos, & salutis eorum auctorem, ESSE AB VNO. Vnde postea infert, fratres illos esse; & postquam hoc euicit, d) ex eo porro ita colligit: Proinde DEBIT per omnia FRATRIBVS similis esse, *ut misericors fieret, fidusque pontifex in rebus diuinis, quo populi peccata expiaret.* Immo addit: Quoniam enim, siue, ex eo, quod passus est, ipse periclitando, potest periclitantibus subuenire. e)

O arcanum & admirandum DEI amorem! O iustitiam & sapientiam immensam! Filius DEI, qua nostrae salutis reparator, ex Patris, cuius in eo honori consuli decebat, voluntate non nisi per crucis supplicium gloriam suam adire potuit. Quare? Quia homo factus, eodem nobiscum genitore prognatus; quo vno Apostolus reliqua omnia complectitur, quae ab eo dependent, vel cum illo connexa sunt. Nam hoc ipso se fratrem nostrum aperte professus est, qui ex hoc consanguinitatis iure vindex & redemptor noster esse velit, & causam nostram in se suscipiat. Atqui vero haec causa nostrae salutis postulauit, ut cruento sacrificio peccata nostra expiaret, & poenas eorum ipse sustineret, diuiniae iustitiae satisfaciens. Praeterea hac ipsa ratione per omnia, non modo corpore & animo ipso, sed etiam conditione illorum infirmiore & misera, peccato solo excepto, fratribus similis fieri debuit, ut omnia mala nostra ipse experimento cognosceret, & deinde, sacrificio suo peracto, causam nostram, ut misericors pontifex & aduocatus simul, agere nobisque opitulari posset. Haec omnia aeterno pacto vltro Patri spondit; & teste eodem Paulo, in mundum etiam ingrediens dixit: *sacrificium & fertum tibi non placet; corpus autem perfecisti mihi: victimis & piaculis non delectaris.* Tunc dixi: *en adsum, in capite libri scriptum est de me, ut exsequar, DEVS, voluntatem tuam.* f) Atque haec denique ipsa fuit Patris aeterna, sancta, iusta & misericors voluntas, ut ille corporis sui liberatione nos sanctos redditos ipsi rursus adduceret ff) aeterna gloria ornandos.

A 2

Ita

c) Ebr. II. com. 10.
c) com. 17. 18.

d) com. 11. 12.
f) Cap. X, §. 6. 7.

ff) com. 10.

Ira Spiritus diuinius ianuam nobis pandit, contemplandi in ipsi
DOMINI natalibus omne consilium DEI de salute nostra restituenda,
& omnem eius exsequendi rationem, ab omni aeternitate vsque
ad rerum omnium perfectionem plenissimam, & quae illam in aeter-
num sunt sequutura. Incedimini ipsi, CIVES, pio studio hanc
immensam arcem, aeterni amoris diuini miracula exhibentem, quum
pedem iam inde retrahere, instituti nos ratio vrgeat. Nec fructu,
credite, carebit, nec voluptate ad spectus eorum, quae ipsi angeli per-
spicere cupiunt. g)

Vt igitur telam, quam exorsus sumus, pertexamus, ex iis, quae
iam dicta sunt, facile intelligitur, & quinam sint ii OMNES, quos ab
vno esse Apostolus adfirmat, & quid eo nomine, quod AB VNO SINT,
ille indicare velit.

Paullus dum OMNES memorat, dubium non est, quin hac
voce complectatur in vnum & eum, qui sanctos reddit, & eos, qui
sancti ab illo redduntur, siue, quod idem est, & filios in gloriam du-
cendos, & salutis eorum auctorem, sistens ex altera parte hunc VNUM,
ex altera vero homines in vniuersum OMNES.

Atque ne existimes, hosce eos tantum esse, qui ipso effectu san-
cti efficiuntur & in gloriam perducuntur; en tibi iam antea designa-
tos CVNCTOS, pro quibus DEI beneficio mortem ille pati debuit, h)
& deinceps, OMNES, qui cum illo sunt ab vno; OMNES, qui cum
humano corpore carnem & sanguinem habent, quibus similiter atque
illi praeditus esse ipse vltro voluit; OMNES, quorum eandem hu-
manitatem ex semine Abrahami ipse quoque adsumpsit; i) OMNES,
quos ob communem cum iis ortum pro fratribus habet, iisque per
omnia similis fieri debuit. k)

Compone cum his indiciis illum locum, quo eodem modo idem
Apostolus alibi l) ex altera parte collocat VNUM illum, cuius
iustitia fiat, vt ex altera constituti OMNES homines absoluantur in iu-
dicio diuino, & viuant; aequae ac antea eodem orationis filo coniun-
xit VNUM & OMNES, VNUM scilicet, cuius delicto factum est, vt
OMNES homines damnarentur. Sicuti enim huius peccato acerbis-
sime damnationis omnes rei facti sunt, licet alieno beneficio multi vi-
uant,

g) I Petr. I, 12.
k) com. 17.

h) Ebr. II, com. 9.
l) Rom. V, 18.

i) com. 14. 16.

vant, nec contingat, vt omnes re ipsa poenae aeternae damnentur: ta-
illius obedientia *omnibus* iustitia & vita parata est, licet sua ipsorum
culpa complures neutram consequantur.

Plurimum omnino interest, te, quisquis demum es, in anteces-
sum firmissime tibi persuadere, numero *omnium* illorum, quos, se iis
adiungens DEI filius, *omnes*, quum *quemquam* cogere nolit, & ex-
piatis ipsorum peccatis sanctos reddere, & vt dux atque princeps salu-
tis, aeternae gloriae participes facere, secum amantissime ac serio con-
stituit, TE quoque comprehendit. Si enim de hoc vel dubitare solum
perges, temet omni illo bono, quod ab eo in te proficisci debebat, ipse
priuabis.

Porro ex his, quae ad illustranda Apostoli verba prolata iam sunt,
constare putamus, & quis nostra sententia sit ille VNVS, a quo omnes,
& qua ratione omnes AB ILLO VNO ESSE dicantur.

Non defunt quidem ex veteribus aeque ac recentioribus interpre-
tibus, qui VNVM DEVM hic designari credunt, omnium patrem, a
quo CHRISTVS, qua homo, non minus quam ceteri mortales,
conditus, siue etiam a quo ille ipse etiam, quum *in mundum mittere-
tur, consecratus* vel sanctus redditus sit, m) omni labe peccati ab hu-
manitate ipsius prorsus separata. Atque hi porro existimant, ita & il-
lum, & hos ea ratione dici AB VNO ESSE, vt, quemadmodum is natura
sit filius DEI, ita hi etiam a DEO adoptati sint, vel adoptandi, quorum
vnam esse voluerit Pater conditionem, vt scilicet vtrique, variis labo-
ribus & aerumnis exantlatis, aeternum regnum adire debeant, qua via
illi praecundum fuerit, hisce sequendum sit. Argumenta, quibus
hanc sententiam confirmare illi satagunt, breuitatis causa recensere
iam nolumus. n) Licet enim ea aliqua veri specie illam commenda-
re forte possint; eandem tamen scopo, quem sibi Apostolus propo-
suit, minus conuenire, ex iis, quae de eo supra differuimus, planum
atque perspicuum esse putamus.

Declaratum vero iam a nobis est, VNVS nomine ab illo ipso hu-
ius epistolae auctore alibi o) *primum hominem*, Adamum, intelligi;
atque eundem hic etiam digito ab eo demonstrari, nulli dubitamus.

A 3

Dum

m) Io. X, 36.

n) Vide his ea, si placet, in SEB. SCHMIDII Comment. ad h. l.

o) Rom. V, 12. sqq.

Dum vero & eum, qui sanctos reddit, & illos, qui sancti redduntur, AB VNO illo ESSE adserit, id quidem omnino vult, omnes a communi stirpe genus ducere, ita tamen, vt *neque* rationem habeat in se tantum spectari corporis & animi humani; *neque* constitutionem vtriusque, qua ante delictum ab Adamo patratum integra illa fuit & perfecta, intueatur; *neque* ipsum primum hominem, qua ille distinctus ab aliis homo fuit, intelligat, quasi ille non censendus sit, ex iis esse, qui sancti reddendi sint: sed *potius* hac locutione humanitatem ipsam no- ret, *quae* in Adamo coepit, & eam quidem, *qualis* ab ipso in posteros omnes propagata est, post eius contumaciam, variis malis, calamitatibus, infirmitati, ipsique mortii obnoxia. Hac enim DEI filius sua sponte sese induit, non tantum vt homo hominibus aliis similis futurus, sed etiam communem in omnibus cum illis nascendi conditionem, excepta tantum animi prauitate, subiturus. Hac illum ratione cum aliis hominibus ab vno esse, & eadem cum istis sorte frui, iustitia in primis & sapientia DEI postulauit, quo ipsis, per omnia similis, in eorum locum succederet, & quae illis poenae tolerandae fuissent, ipse omnes illorum redimendorum gratia in se susciperet. Nolumus iam repetendis argumentis, quae alii congeserunt, vel remouendis obiectis, quae iidem dudum iam diluerunt, p) actum agere, praesertim quum attente Apostolum legenti rem manifestam esse putemus. Eas potius nostras iam esse partes credimus, vt grauissimum causae momentum ita expendamus, vti horum dierum religiosa solemnitas exposcit.

Age igitur, quicumque haec legis, tibi sume haec verba, *ab vno sunt omnes*, ad te quoque illa pertinere puta, & posteaquam planum eorum sensum auribus pronis accepisti, scilicet & filium DEI, & reliquos in vniuersum homines ab vno illo primo homine, Adamo, esse prognatos, summo nunc animi studio meditare, quam stupendum hoc sit, & quanti tua referat, isthoc ita esse factum.

Cogita, quales ac quantus sit DEVS ille, *a quo omnia, & per quem omnia.* q) Cogita, qualis ac quantus sit *filius* ille DEI, *per quem mundum fecit*, qui est eius gloriae splendor, & forma expressa *ὁμοεικείας*, qui fert cuncta suo potenti sermone; cui Pater ipse dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; quem omnes diuini angeli adorant; de quo scriptum est: *Tu principio, DOMINE, terram fun-*

p) Vid. SEB. SCHMIDIVS l. c.

q) com. 10.

fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli, & illi quidem peribunt, & te permanente, omnesque tamquam indumentum inueterascunt, & te tamquam amictum eos inuoluentem, obsolescent; at tu is es, qui, o auctus, semper idem, annorum sis infinitorum. r) Atque ut paucis multa complectamur, cogita, quis ille sit, qui aequae ac Pater DEVS aeternus, immensus, infinitus, caeli & terrae creator & conseruator, & maiestate & gloria diuina illi per omnia par & aequalis censendus est. Cogita denique, quis sit homo, puluis ille & umbra, angelis corporea & adspicibilis sui parte longe inferior, & si conditorem infinitum respicias, nihilum ferme, & plus ab illo distans, quam *gutzula oceano*, s) aut leuis caespes immenso terrarum ambitu. Quid? quod cogita summam illam humani generis miseriam in hac mortali vita, propter quam saepius in sacro codice legitur: *Quid est homo, ut eius memineris? Quid est homine natus, ut eum cures?* t) Quae verba quum ad ipsum salutis auctorem, quae hominem, tot iniuriis, ludibriis & ipsi denique morti expositum, eaque constitutione ad tempus angelis inferiorem, pertinere Paullus testetur, u) quid de his adfirmandum putas, quos ille, omni crimine carens, longissime antecellit?

Si haec omnia inter se composueris, perpende, quae so, quid hoc rei sit, quod DEVS, qui *mundum, & quae in eo sunt, omnia fecit, caeli terraeque Dominus, nec ullius egenus, qui ipse omnibus vitam, flatum, omnia denique confert, qui etiam ipse ex unius sanguine uniuersum genus humanum creauit*, x) ex eodem suum filium hominem, & eadem quidem cum reliquis conditione, nasci voluit; quod DEI hic filius ipse miseram hanc nostram humanitatem sibi eo vinculo, quo nullum arctius est, coniungere, & aequae ac *infantes corpore, carne & sanguine praedivus esse*, y) non erubuit; quod is, *cuius in sinu Patris ab aeternis temporibus antiquissima*, immo extra omnem temporis successione positam fuit *origo*, z) *stato tempore ex muliere natus*, a) hanc natiuitatem non dedignatus est; quod DEI aeterni filius immortalis inter Adami filios mortales reperitur. Quis non stupeat, rem tanti momenti & profusus inauditam adcurate animo agitans? Miraberis sane, nisi forte verum hoc mysterium negaueris, aut animus rei iam aduersatus sit,

r) Ebr. I, 2. 3. 5. 6. 10. sqq.

s) Ef. XXXX, 15. 17.

t) Pf. VIII, 5. C. XXXVIII, 3.

u) Ebr. II, 6.

x) Act. XVII, 24. sqq.

y) Ebr. II, 14.

z) Mich. V, 1.

a) Gal. III, 4.

fit, & quod multis accidit, callis quibusdam veluti concretis, obduruerit.

Percepisti, ad omnes homines haec pertinere, teque etiam esse in illorum omnium numero. Quod si ergo tui non es immemor, sed animo ab omnibus aliis mortalibus ad te conuerso id ipsum meditaris, quantum hoc sit, *quod*, vti tu, ita etiam DEI filius ab Adamo nouis his natalibus genus ducit, *quod* ille, pariter ac tu, homo est, *quod*, immenso amore ductus, ipso sanguine tibi coniunctus esse voluit, tibi, etiam si infimae fortis ac miserrimae sis conditionis, *quod*, cum Filius sanguinis propinquitate ad te accesserit, Patris, cui ille proximus est, nunc quoque cognatus, & in familiam quasi illius euectus es: quod si haec omnia placido & tranquillo animo, is enim requiritur, pensitaue-
ris, nonne de tanto tibi honore gratulabere? nonne amorem & Pa-
tris & Filii inde perspicias? nonne credes, te iam DEO curae futu-
rum? nonne illum salutis tuae cupidissimum esse, ne sic quidem cer-
tiorum te ab eo factam putabis? nonne de his omnibus laetabere,
gaudebis, exultabis?

Profecto si vel infinitarum calamitatum, vel miseriae, vel vitio-
rum volutabro immerfus haec audiueris, aequum erit, animum tuum
erigi, & spem concipere, DEVM, qui tibi iam propinquitate proxi-
mus est, opem tibi esse laturum. Et hanc quidem eius fiduciam tantam,
tantum gaudium ipse ille laetus nuncius: Filius DEI & homines
omnes sunt ab vno, filius DEI Adami progenies, filius DEI verus
homo est! in animo tuo excitabit. Caue modo, ne virtuti, quam
nuncius ille comitem habet, repugnes, aut vilo modo ei refrageris.
Quanto magis autem iste laetitia te perfundet, si cogitaueris, rem tan-
tam sine grauisimis causis factam non esse, si finem, quem in eo DE-
VS sibi proposuit, perpenderit, & parta salute ipsa illa filii DEI fidu-
cia frui coeperis? Satis quidem haec ex dictis intelligi possunt, ea ta-
men, quae porro consideranda sunt, verba clarius illa ostendunt.

Illos ipsos enim, quos vna voce Apostolus OMNES adpellauerat,
hos, facta cuiuslibet partis mentione, distinctius describit, esse scilicet
EVM, QVI SANCTOS REDDIT, & EOS, QVI SANCTI REDDUN-
TUR. Dum igitur, si a CHRISTO discesseris, omnes homines non
dicuntur, siue sancti, sed *ἀγία ἑσμεν*, seu ii, qui sancti efficiendi sunt,
dicuntur; eo ipso satis plane docetur, hos omnes prorsus carere illa
sanctitate ac puritate, sine qua nullus datur ad DEVM accessus,
nulla

nulla eius fruitio, nulla salus; contra vero, vt profanos & immundos, a beato illius consortio prorsus arceri. Quales enim, nostri imaginem aliquam referentes, lepra, impura lue, polluti, alique immundi olim iudicabantur, aditu locorum sanctorum prohibiti; tales a natiuitate nos omnes reputamur coram iudice DEO constituti. *Quis, Iob teste, purum efficiet, vel sifter, ex impuro homine natum? Nullus omnino est inter omnes.* b) *Quid est homo, vt purus sit? vt sit insons muliere natus? Nec caelum ipsum, sanctissimi DEI iudicio, purum est; nedum abominandus & spurcus homo, qui nequitiam cum ipsa vita effuse imbibit,* c) *in vitio genitus, & in peccato conceptus a matre,* d) *indeque iam natura dignus supplicio.* e) Hinc DEVS ipse interrogat: *Quis ille, qui spondeat pro animo suo, vt, tamquam purus sceleris, ausit ad me accedere?* f) *Quis citra vanam iactationem dicere posest: Purum reddidi animum meum, mundus sum a peccato meo? g) Nullus! Hinc inuadit pavor impuros. Quis nostrum, merito dicimus, accolet ignem edacem? Quis nostrum accolet incendium aeternum? h) Est enim DEVS noster ignis edax.* i)

Sequitur vero ex his ipsis, quam maxime necessarium esse, vt, ab illis sordibus purgati, puri in conspectu DEI reddamur, nisi aeterno diuortio ab ipso separari debeamus. Sequitur item, neminem id vel apud se ipsum, vel apud alium vllum efficere vnquam posse. *Fratrem enim prorsus non redimet quisquam hominum, nec dabit DEO redimendae vitae pretium. Nimis enim carum est illud pretium redimendae animae eorum, vnde omittet id,* necessitate coactus, *in omne aeuum.* k) Sequitur denique, aut nos beata cum DEO coniunctione & societate aeternum carituros, aut alium quemdam, qui, a reliquorum immundorum hominum numero segregatus, *non necesse habeat pro suis peccatis victimas libare,* l) inueniendum esse.

Atque is est, qui, vnus reliquis omnibus oppositus, non modo *ὁ ἀγίος καὶ δικαίος, sanctus ille & iustus,* m) sed praeterea etiam magno vocis pondere *ὁ ἀγιάζων* dicitur, hoc est, qui vnus sufficit, ceteris omnibus eo modo puris reddendis, vt grati & accepti DEO fiant,

B

b) Iob. XIII, 4.

c) Cap. XV, 14. 15. 16.

d) Ps. LI, 7.

e) Eph. II, 3.

f) Ier. XXX, 21.

g) Prov. XX, 9.

h) Es. XXXIII, 14.

i) Ebr. XII, 20.

k) Ps. XXXVIII, 3. 9.

l) Ebr. VII, 27.

m) Act. III, 14.

fiant, & aditus facilis ad gratiam eius & sempiternam gloriam illis denuo pateat. Atqui duplici ἀγιωσμῷ nobis opus est: altero, qui causa est salutis & vitae beatæ; altero, qui ad viam ac modum illam consequendi pertinet, & partem eius aliquam constituit: illo, quo sanctitate, extra nos posita & infinitis numeris maiore ea, quæ in nobis esse potest, expiatis peccatis nostris gratiam a DEO inimus; hoc, *sine quo etiam DOMINVM videre nemo potest*, n) quo imaginis diuinæ gloria nobis restituitur. Vtrumque igitur hunc ἀγιασμὸν præstat ὁ ἀγιαζῶν ille, & sanguine suo & spiritu nos sanctos purosque efficiens.

Hoc tamen loco de eo sermonem esse existimamus, quo is per *semet ipsum expiationem peccatorum nostrorum fecit*, o) & pro nobis passus, ut nos ad DEVM adduceret, p) uno libamento in perpetuum perfecit τὰς ἀγιαζομένους, siue eos, qui sancti reddendi erant. Satis id cum ex eo liquet, quod antea dictum fuerat, eum DEI beneficio pro cunctis passum esse mortem, & ut auctor nostræ salutis esse posset, suppliciiis perficiendum fuisse; q) tum ex hoc, quod deinceps ut pontifex noster pluribus describitur, qui, ex hominibus desumus, pro hominibus præesse rebus diuinis, munera & victimas libare pro peccatis, qq) atque hoc modo sacerdotali ritu nos lustrare, DEOque consecrare debuit. Neque tamen factum hoc ideo est, ut nos, fuso illius sanguine lustrati, in sordibus peccatorum perpetuo haereremus, de interna sanctitate nunquam cogitantes; quin potius ille ipse sanguis CHRISTI, qui per æternum spiritum se ipsum libavit innocentissimum DEO, nobis adpersus, purgat nostram conscientiam a mortuis operibus, ut viuentem colamus DEVM. r) Ego, inquit ipse, ego, tamquam pontifex maximus, ἀγιαζῶ ἐμαυτὸν, hoc est, sanctum me ipsum sisto, siue consecro me, ut purissimam hostiam, pro ipsis, ad expianda ipsorum peccata, ut & ipsi sancti reddantur veritate tua, o Pater! s)

At qualis & quantus est is, qui his partibus suscipiendis par sit, & vnus sufficiat ad irati Numinis fulmina vna hostia procuranda & infinitæ hominum multitudini sanctitatem eam suorum meritorum magnitudine tribuendam, quæ infinitæ DEI iustitiæ non modo se

pro-

n) Ebr. XII, 14.

o) Ebr. 1, 3.

p) 1 Petr. III, 18.

q) Ebr. II, 9. 10.

qq) Ebr. V, 1.

r) Ebr. VIII, 14.

s) Io. XVII, 19.

probet, sed etiam illi, tantopere offensae, adeo satisfaciat, ut iste homines omnes in gratiam recipere & possit & velit, aeternum beandos, modo ipsi non nolint, beneficium hoc proterve repudiantes. Hominis vnus, licet peccati expertis & perfectionem Adami, qualis ea ante eius delictum fuit, millies, immo centies millies superantis, id non esse opus, facile intelliget, qui vel leuiter rerum rationes subducere didicit. Virtutem vere diuinam in eo requiri, per quem vnum innumeri alii a sordibus suis purgandi fuerunt, & quidem hac ratione, ut per se ipsum eorum omnium peccata expleret, eosque cum DEO in gratiam reduceret, nemo est tam hebes ac rudis, qui non protinus capiat. Quo factum est, ut antea Apostolus eundem *DEVM* r) aliquoties adpellaverit, & opera eius prorsus diuina praedicauerit, tribuens ipsi quoque, quae non nisi DEO competunt, cum religiosae adorationis, ab ipsis etiam angelis praestandae, u) honore, quem sibi DEVS soli vindicare solet. Immo res adeo manifesta est, ut, qui de aeternae diuinitatis CHRISTI gloria derogant, nullo modo illum eo sensu, qui Apostoli est, τὸν ἀψύχοντα agnoscant, sed vix tantum ipsi relinquunt sub titulo inani, quantum forte philosopho, homines doctrina & virtutis exemplo ad morum honestatem perducenti, aequae facile tribuerent.

Verum enim vero, quemadmodum illum *DEVM* aeternum ante omnia agnoscimus merito; ita repetendum etiam est animo ex antecedentibus, eundem proponi ab Apostolo, ut *ab vno* cum ceteris mortalibus omnibus prognatum, & eadem cum reliquis miserae sorte vitro nec impune natum, quippe qua omni excruciatu supplicio necandus erat. Id quod non minus in eo, quam ipsa diuina virtus & potentia, requirebatur ad partes illas nostri redemptoris agendas. Hominem esse illum oportuit, ut hominibus prodesset, illorum causam apud *DEVM* fusciperet, &, quae ipse vnus omnium loco recte faceret & mala sustineret, tamquam ab illis ipsis praestita & tolerata haberentur. Hinc non angelos, sed humanitatem in suae diuinitatis societatem adsumsit. x) Hominem esse illum oportuit non immortalem, sed ea conditione natum, ut nihil, quod homini accedere potest, recusare deberet, & per omnia reliquis, quales nunc sunt,

B 2

r) Ebr. I, 8. sqq.

u) com. 6.

x) Ebr. II, 16.

sunt, similis, miserrimi mortalis casum subiret, immo tandem diris-
simam & turpissimam mortem oppeteret. Solum peccatum, cuius vi-
tio reliqui infecti sunt omnes, ab eo abtuit, vt nos a delictis liberando
valeret. Cetera licet in ipsa humanitate, qua ea cum diuinitate arctis-
sime copulata vnum aliquod constituit, DEO se aequalem gerere
potuisset, eam tamen gloriam minime ostentauit, sed eius perpetuo
vsu per omne vitae tempus se sua sponte abdicauit, & *serui formam*
induit, quo nobis salutem ex Patris voluntate adferret, atque sic tan-
dem post summum supplicium, *gloria & honore summo orna-*
tus, γ) nobis ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, siue *auctor vitae* atque salutis, z) ex-
sisteret, quo etiam duce ad illam vteremur.

Tu, quicumque haec intelligis, attende iam ad filium DEI, qui
homo factus, & in praesepi collocatus, ante tuos oculos hisce diebus
obuerfabitur. Cogita, quaeso, quis ille sit non modo ratione gene-
ris vtriusque, vbi, quum DEVS esset a Patre inde ab aeuo genitus,
tua causa iam homo est ex Adami stirpe a muliere natus; sed maxime
etiam, quis sit ratione officii, quod in se suscepit, is scilicet, qui
vnus te, aequae ac omnes Adami posteros, sanctos reddere potest ac
debet, ac propterea humani generis onus, Aetna grauius, solus sus-
tinuit. Cogita porro, quis tu sis, qui cares omni illa sanctitate, qua
DEO placere possis, ac proinde, vt impurus, a beatorum sedibus ex-
clusus, contra vero aeternis cruciatibus merito destinatus es, teque
ipse ex summa hac miseria saluum facere nequis. Cogita incredibili-
lem ipsius amorem, in poenis tuis suppliciisque tubeundis, crimini-
bus tuis expiandis, DEO que tibi conciliando demonstratum. Co-
gita, eum, qui haec omnia praestitit, se tibi ipsum iam offerre, qui
ad Patrem te, sanguine suo ablutum, reducturus sit, vt cum ipso eius
haereditatem adeas, hic sui Spiritus, illic etiam gloriae ac regni parti-
ceps ab ipso faciendus.

Tu igitur attende, quisquis vitiorum coeno immersus iaces, ac
in eo volutaris, peccator, tibi nunciatur natus Seruator, sed is, qui, ipse
sanctissimus & DEVS & homo, tibi etiam esse vult ὁ ἀγαθὸς, qui san-

γ) Phil. II, 6. sqq.

z) Act. III, 15.

sanctum te efficiat. Vide, quid DEVS, misso Filio, quid Filius supplicium perferens fecerit, vt te sordibus animi, omnibus vitis inquinatissimi, conspurcatum purificaret. Paratus etiamnum est, qui te sanguine suo mundum faciat, at non si in isto criminum coenoso lacu volui, aut ad eum a lauatione statim redire volueris; sed potius, si prius eo adducaris, vt te immundum & aditu ad caelorum regna prohibitum vere doleas, & eo fine ad ipsum accedas, vt, si, virtute sanguinis & deprecationis illius apud Patrem, delictorum veniam impetraueris, per ipsum etiam Spiritum in eius imaginem reformeris. Si alia tibi mens est, eo gaudio, quod is natus est, qui seruator & salutis nostrae auctor sit, perfrui profecto non potes. Sin haec tibi est, habebis ab illo, quod voles.

Tu vero, qui ingemiscis, dolore excruciatas, quod quicquam eius sanctitatis nec habebas, nec a te ipso aut villo alio homine possis consequi, qua DEO acceptus sis & dignus iudicaris, qui in iucundissimam vitae societatem cum ipso coeas: accede protinus ad hunc *infantem tibi natum*, ad hunc *filium tibi datum*, a) qui comiter atque clementer te accipiet, & pro officii sui ratione, tamquam *ὁ ἀγαπᾷ*, sanctam te praestabit. Ne te terreat, adliciat potius officii nomen. Quidquid tibi deest, ille habet: quod tu expetis, ille efficit. Est quidem hic sanctus iste DEVS, qui ignis est confector & consumtor omnium sceleratorum; sed idem iam *ab vno* eodemque Patre tecum genitus est, & maiestatem fulgentis diuinitatis humano corpore textit, ne illius ad spectu perterrearis. Est quidem ille etiam homo sanctissimus, at qui miserrimos peccatores *ad ipsum venientes non eiicit foras*, b) immo admittit libenter, & *fratres eos dicere non erubescit*; bb) quippe honori sibi ducit, illos, ex profundissima fovea eaque lutulenta extractos, ipse abluere & sanctos Patri sistere. Quid ergo dubitas, vel his eius natalibus ad illum fratrem tuum accedere, quo huius beneficii & tu compos fias, & *sortem accipias in totis hypocaustis, inter eos, quos sanctos ille effecit, ea, quam in illo collocarunt, fiducia?* c)

B 3

Tu

a) Ec. VIII, 6.

b) Io. VI, 37.

bb) Ebr. II, 11.

c) Act. XXVI, 18.

Tu denique, qui CHRISTI confors factus es, non modo gaude, quod humano genere nasci salutis tuae reparator voluit, sed etiam, quando variis calamitatibus & tentationibus grauisime periclitaris: memento, illum ideo in numerum Adami posterorum relatum esse, vt non modo tui conseruandi causa supplicium pateretur, sed etiam postea a te inueniretur *misericors pontifex*, d) eoque paratior esset, ad opem tibi ferendam in omni periculo, quo magis dura & aduersa quaelibet experientia edoctus cognouit, iisque omnibus remedia efficacissima inuenit. Is, crede, animum erga te fraternum demonstraturus est in ipso diuinæ gloriæ fastigio constitutus, idque eo certius, quo arctius humanitatem cum diuinitate iunxit vinculo aeternum indissolubili. Firma itaque animum tuum illius fiducia, idque ipsi longe gratissimum fore scito. Spera ab eo, quidquid bonorum animo concipere potes. Pauper enim ille factus est tui causa, vt paupertatis suae merito omnes suas diuitias in te transferret. dd) Miser ille esse voluit, vt sua ipsius miseria absorberet tuam, teque in folio suo secum collocaret. Hinc gloriare, spreto omni inimicorum exercitu, de DEO fratre tuo, per quem de illis omnibus triumphum ages. Denique ama illum impense, qui te prius amauit, & post tot edita amoris documenta in aeternum amare perget. Delectare hac ipsius erga te immensa prorsus caritate, & eo ipso magis magisque suffla tui amoris igniculos, vsque dum in flammam longe maximam erumpant. Vtere illo familiarissime, & remis quasi arque velis aduersus, ipsius fiducia fructu eius amore & omnibus, quae ille habet, bonis, tuo denique amore ardentiore in dies eum complectere eo vsque, dum, vt auctor salutis tuae, te ad aeternas possessiones in gloriæ suae societate introducat.

VOS in primis, CIVES, haec Vobis pro diuersa animi Vestri ratione dicta scitote eum in finem, vt omnes omnium ordinum audiendo laeto nuncio, quo cathedrae sacrae personabunt, de natiuitate CHRISTI, & meditando inter serias preces hoc summum mysterium, festos hos dies pie sancteque celebretis; quo, post minime simulatum de admissis huc vsque peccatis dolorem, fiducia illius seruatq.

d) Ebr. II, 17. Cap. III, 14.

dd) 2 Cor. VIII, 2.

vatoris animi Vestri voluptate gratisima permulceantur, immo ob impetratam ab ipso delictorum omnium veniam gaudio atque laetitia perfundantur; & quo sicut tandem, sicuti ille confors Vestri generis esse voluit, ita Vos illius beneficio cum ipso vnus DEI parentis confortes, fratrisque, primas inter reliquos merito tenentis, cohaerere des fiat, beatissima illa confortione in aeternum haud dissoluenda.

Maxime autem Vos, qui alieniore a Seruatore Vestro animo adhuc fuistis, paterne compellamus: *Recipite Vos ad hunc auctorem salutis Vestrae, & seruamini!* e) Cur enim perire, quam seruari, malletis? *Domini splendor etiam Vos circumfulget*, dum laetus ad Vos nuncijs adfertur: *VOBIS hodie natus est Seruator, qui est Ieboua, DOMINVS.* f) Non damnaturus Vos adest DEI filius, sed seruaturus. Vobis etiam venia speranda est, immo *propius Vos nunc est salus.* *Discessit nox, dies adest.* *Honeste Vos, vt in die, gerite, non dediti comessationibus, non ebrietatibus, non libidinibus, non iurgijs & aemulationibus,* (quibus rebus vel proximum hoc tempus, memoriae tanti mysterii sacrum, a nonnullis profanatum fuisse, non sine graui dolore commemoramus,) *sed induite potius ipsum Dominum IESVM CHRISTVM,* g) quemadmodum ipse, Vos seruandi gratia, hominem induit. *Ne deinceps ad hominum cupiditates, sed ad DEI voluntatem reliquum in corpore tempus viuatis.* Satis est enim Vobis, *praeter ito vitae tempore Vos hosti generis humani morem gessisse, versantes in libidinibus, cupiditatibus, violentijs, comessationibus, porationibus,* aliisque flagitijs. h) Satis etiam est, infucata honestate pietatem erga DEVM simulasse. *Illuxit iam, Filio DEI in corpore humano adparente, diuina beneficentia, cunctis hominibus salutaris, quae Vos quoque erudiat, vt non modo impietati mundanisque cupiditatibus inde ab hoc die vale dicaris, sed etiam frugaliter & iuste pieque viuatis in hoc saeculo, quo expectare tum positis speratam beatitudinem, aduentumque magni DEI & Seruatoris nostri, IESV CHRISTI, vltimum, qui priori aduentu suo se ipsum pro Vobis etiam dedit, quo Vos ab omni scelere vindicaret, & sibi*

e) Ef. XXXV, 22.

f) Luc. II, 9. 10. 11.

g) Rom. XIII, 11-14.

h) I Petr. III, 2. 3.

sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum. Haec loquimur, & quantum ad nos attinet, amantissime oramus & obtestamur Vos, DEO vero ita iubente, etiam exhortamur & arguimus summam auctoritate. Videte, ut nemo ea contemnat. i) Qui vero haec contemnit, is sciat, se non nos adspernari, sed DEVM ipsum, k) eo gravius iniuriam hanc vlturum, quo maius fuit beneficium, quod suo ipsius filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit, ut posset cum eo nobis omnia largiri. l)

i) Tit. II, 11-15.

k) 1 Theff. III, 8.

l) Rom. VIII, 32.

P. P. in Academia Fridericiana prid. | Fer. Natal.

CIO IO CC XXXIII.

g) Rom. VIII, 11-14.
h) 1 Theff. III, 8.

e) EL XXXV, 11.
f) Luc. II, 22-23.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





ACADEMIAE
PRO
IOANNES
HEINEC

POTENTISSIMO BORVSSIA
RIBVS, IVRIVM ET P
ORD

CANCELLARI

PROFESSOR

RELIGIOSAM

NATALIV

CIVIBVS

HVMANISSI

HALAE M
IMPENSIS O



Farbkarte #13

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

B.I.G.

Centimetres

97

AE

EB

TIO.

E

I

20

